

#  
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA;

DE

CURATIONE

MORBORUM E FUN-  
DAMENTO,

Quam

FAVENTE DIVINA GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, ET DUCATUS MAGDEBURGICI

GUBERNATORE, Reliqua

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

MED. D. EJUSDEMQUE; PROFESS. PUBL. ORDIN. ACAD. NAT.

CUR. COLLEG. LONG. DIGN. p. t. FACULT. MEDIC. DECANI  
SPECTABILIS,

DN. PATRONI, AC PROMOTORIS SUI MAXIME  
*suspiciendi,*

PRO DOCTORIS GRADU

Summisque; in utraque; Medicina Honoribus, & Privilegiis rite impe-  
trandis, more Majorum solenni,

IN AUDITORIO MAJORI

*d. M DCC IX. Horis ante- & pomerid.*

Publico & æquo Eruditorum examini exponet

ADAMUS FRIDERICUS PEZOLD,

Sayda - Misnicus.

PER-ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO,  
DOMINO

**WOLFF** *Rudolph* **A SCHOEN-  
BERG,**

Dynastæ in Purschenstein & Sayda, Sere-  
nissimi ac Potentissimi Regis & Electoris Saxoniae summo  
Præfecturæ Wolckensteinensis Diribitori &c.

DOMINO SUO GRATIOSO,

Nec non

*Viro Prænobilissimo, Excellentissimo, Amplissimo atq; Experientissimo,*

DOMINO

**AUGUSTO QVIRINO  
RIVINO,**

Philos. & Medic. Doctori undiq; celeberrimo, Patholog. &  
Botan. Profess. Publ. & Facult. Medicæ Lips. Seniori longe  
dignissimo,

*Patrono, Evergetæ ac Præceptoris suo ad Urnas colendo.*

Ut &

*Viro Nobilissimo, Amplissimo atq; Spectatissimo,*

DOMINO

**CHRISTIANO ROESLER,**

Mercatori Lipsiensi celeberrimo,

*Benefactori & hospiti hætenus suo benignissimo.*

Specimen hoc Inaugurale

In grati animi ac debitæ observantiæ testi-  
monium cum omnigenæ Felicitatis

Voto, submissè offert

**ADAMUS FRIDERICUS BEZOLDT.**



## PROOEMIUM.



Uanta sit veræ Dia-

gnoseos morborum, dignitas & utilitas, non solum antiquo illo, tanquam proverbio celebraverunt jamdudum Practici: *Qui bene cognoscit, bene curat*: Sed videtur hoc etiam ipsa simplex sana

ratio suadere, quandoquidem affectui ignoto, non solum methodicas, sed etiam specificas seu empiricas, medicationes adhibere, nusquam obtingit: adeoque undique ignoratio veræ indolis ipsius morbi, etiam medicationem non potest non destituere. Interim, quàm certum etiam, si rectè intelligatur, est hoc assertum; si minus dextrè explicetur, nempe nimis strictè ad exquisitas species, tanquam unicè, adaptetur, absque sufficiente consideratione atque æstimatione, veri physici *generalioris* influxus atque concursus, parit certè multoties, minime exiguos, sed magni passim ponderis, anfractus & offensiones, in quotidianâ Praxi. Sicut enim vera cognitio morborum, utique involvit ejusmodi Pathologiam

eorundem, quæ veram *conspirationem* causarum, antecedentium, foventium atque continentium, complectatur; ita præbet certè sæpenumero, maximopere verò in hodiernis opinionibus pathologicis, locupletem ad errandum materiam, neglectus sufficientis distinctionis, inter antecedentis, & verè simplicius occasionalis, causandi rationis, veram indolem & energiam. Ubi deinde, si illius rei nulla, aut parva, ratio habetur, quæ proximum fomitem non solum, sed ipsam usque quasi primam materiam, morbo suppeditare potest; non plus agitur, morbum ipsum, tanquam malum fructum hujusmodi materiæ, unicè atque strictè respiciendo atque oppugnando, quàm si quis aquam è fonte profluentem, extergere atque resiccare laboret, scaturigine non obturatâ, aut aliorum deductâ. Quæ interim res, cum & multoties in quotidiana Praxi occurrat, & certè, nisi benè animus advertatur, fatis frequentem offendendi occasionem præbeat, meretur, puto, justam contemplationem atque memorem observationem: ne tanquam radice, imò stirpe, neglecta, solum frondibus, imò fructibus, invigilare, imò hanc etiam ipsam operam sæpe numero, quod ajunt, ludere, necesse sit: sed potiùs, vero *fundamento*, sive subruto, sive ad minimum peritè tacto, quicquid illi superstructum est, tanto certius atque penitius auferre, & tanto constantius remove, obtingat. Imò verò, subtracto etiam alicubi *fundamento*, aut alibi, ad minimum maturè occupatis novis germinibus, certius atque constantius consulatur incremento totius incommodi, quod alias licentius veluti luxuriare, atque sese diffundere & extendere, valuerit. Dedit hæc consideratio nobis *anam*, ad instituendam hæc de re propriam *Dissertationem*,  
quam

quam etiam INAUGURALIS SPECIMINIS PRACTICI dignitate conspicuam esse posse, nobis pollicemur. Agemus itaque, de CURATIONE MORBORUM E FUNDAMENTO.

Precamur autem Deum Ter Optimum Maximum, ut nobis etiam, tam utilis propositi felici successu atque exitu potiundi, vires, clementissimè largiatur.

I.

**D**E CURATIONE E FUNDAMENTO dicere dum aggredimur, agnoscimus utique facile, incumbere nobis, ut omnem *amphiboliam*, ac *ancipitem sensum* hujusmodi nostri lemmatis, præoccupemus. Unde primo loco, eloqui verum sensum acceptionis nostræ, ex usu fuerit: quem deinde exabundanti, tanto magis illustrabit, etiam *remotio*, alienioris a nostro scopo, explicationis, hujus nostræ propositionis. Volumus itaque intellectum, per *Curationem è fundamento*, tale coeptum atque talem actum Medici, quo ille, ad veras *originarias*, maximè omnium *antecedentes* Medicæ scholæ dictas, imò etiam, iterum dico, *veras procatarticas* causas, intentionem suam ita dirigere meminerit, ut minimè acquiescat, in præsentibus velut exacerbationibus seu *paroxysmis* solis, quantumcunq; etiam, in hoc ordine, dextrè atque peritè, oppugnandis aut expugnandis: sed potius, quodquod est horum *fundamentum*, quæcunque *scaturigo*, quisquis *fomes*, hunc ipsum & aggredi tempestivè, & persequi severè, & evellere, aut sanè coercere peritè, omnino cordi habeat. Quæ nempe ratione, alibi quidem, etiam *funditus, totum* morbum, feliciter, quam si hoc non ita agat, eradicabit: Alibi ad minimum, & meliorem *successum* curationis suæ, & *constantiorum exitum*, securiorem nempe patientis a similibus aut affinibus, novis *pathematibus*, statum impofterum, impetrabit.

II.

Non autem formulâ hâc, *Curationis è fundamento*, simpliciter intelligimus, plerorumque, nedum omnium, morborum, ita plenam atque absolutam *percurationem*, ut tanquam penitissimè eruto universo *fundamento*, morbus quicunq; ita *solidissimè*, tanto minus autem pariter & æqualiter, omnes atque singuli, in integrum restitui possint, & propterea à Medico etiam tanquam ita præstari atque fisci debeant, ut jure meritoque tale quid ab ipso passim expectare, nedum exigere, jus fasque habendum sit. Cùm enim ipsum *fundamentum*, æquè atque totum ædificium totius corporis humani, ita *instabile* atque *ruinosum* existat, ut *fundamentum* corruptelarum ejus tollere, æquipolleat dictioni, *corpus ipsum tollere*: est utique propterea multis modis atque nominibus talis Curatio, quæ hujusmodi acceptioni respondeat, factu impossibilis; atque proinde ab omni prudente spe, nedum certâ fiducia, aliena; nec proinde nostræ tractationi proposita, aut lemmate nostro, *Curationis è fundamento*, designata.

III.

Constituto itaque atque stabilito, quod per nomen *Curationis è fundamento*, potius intelligamus ejusmodi medicationem, quæ non tam solum ipsum *morbum*, ut *in se*, & quod ajunt, *formaliter*, sese offert, respiciat: sed potius longinquum etiam ejus *fundamentum*, *occasionales*, tantò magis autem *antecedentes*, imò alicubi *continentes*, causas: maximè omnium verò, *proximam* jam influendi *potentiam* nactas, efficaci operatione attingat: Venit hinc tantò magis considerandum, quidnam nomine *fundamentorum* talium, *fundamentalium* inquam *causarum*, intelligere conveniat; ut ita ad illas & intentio, & inventio justæ medicationis dirigi possit. Quamvis autem hujus rei decisio, maximè è verâ atque reali *Pathologiâ* petenda veniat, est tamen nobis etiam de illa omninò aliquid dicendum.

IV.

*Causalis nexus*, & quod ajunt *dependentia* mutua, morborum, sicut totum verum objectum *Pathologiae*, nemine negante, unà ingreditur; Ita nescio an pari consensu receptum iri sperare liceat, quod *præcipuam* & longè *dignissimam* ejus partem absolvat: Vix autem sine offensione ingentis turbæ scholæ medicæ, illud superaddere licuerit, quod tamen invictæ veritatis est, quod hæc consideratio, tam pro veritate, quàm dignitate, sui, quod nobis notum sit, nusquam, præsertim in *pleniore* aliquo, *systematico* ordine atque nexu, evoluta atque deducta hucusque inveniatur. Meritò quidem, sollicitè, & ad satagendum condignè suis rebus, curiosam mentem, dubiam habere potest, quomodo illa, jam ab ipsa antiquitate designata, *duo summa genera* causarum, ad producendos morbos efficacium, *Plethora* & *Cacochymia*, ita eximiè, *divisam* magis, quàm solum *diversam*, ditionem, à scholâ medicâ assignatam, possederint, ut *unius ad alteram* ordo *causalis*, vix usquam agnosceretur; Tantò magis autem, *Plethoræ* quidem summe exiguus ambitus, *Cacochymiae* vero, quam maximè latus campus, distribueretur. Haud paulò verò magis certè mirari, jus fasque fuerit, propioris ævi in hoc genere aberrationem à scopo, quem sibi summo studio præfixum, perpetuò contestatur; scilicet & solertiùs, & penitiùs, perspicere, qualis non solum *singularum* rerum, partium, & actionum, in corpore humano, sit constitutio: Sed qualem etiam *mutuam* conspirationem, atque *sociam* activitatem & utilitatem, communesque fructus aut defectus, promittant: Quod tamen in hoc negotio, præfiniendorum, *Plethoræ* atque *Cacochymiae*, terminorum seu limitum, oppidò parum, in hunc usque diem, perfectum atque absolutum inveniatur. Ubi certè, si præfractè negare audeant, quod non potius *neglectus* alicujus, aut *ἄπροσοδάματ*, sit culpa, in *ignorantiæ* planè notam incurrisse se sentient, quod I) veram *efficaciam mechanicam abundantie sanguinis*, ad *fluxilitatem*,  
ejus

ejus minuendam, non pro dignitate excusserint, 2) quod *fluxilitatis* magis magisque laborantis, imò insuper ipsius simplicis insignis *abundantia*, efficaciam, ad impediendos necessarios *progressus* atque *transitus* humorum, non affatim demonstraverint; 3) quod tam *impedimenta* seu *passiones* MOTIVVM, quam *augmenta* etiam, seu *extraordinarias*, sed *necessarias* ad majora damna præoccupanda, *actiones* motuum, dictis his simplicioribus *causis*, earumque efficaciam metuendæ, exquisitè *respondentes*, non debitè dijudicaverint: 4) quod proinde nusquam, decenter atque luculenter, commonstraverint, quanto *numero* affectuum, hæc *tria genera causarum*, & eorum mutæ *subordinationes*, non *possint* solum sufficere, sed etiam, evidentissimis passim testimoniis veræ historiæ morborum plurimorum, ipso actu etiam verè *sufficiant*, & in illis tanquam manu deprehendi atque observari valeant: 5) quod proinde maluerint, numerosa genera, *alienarum*, & pressè ad rem nusquam ulli conceptui respondentium, *corruptelarum* seu *κακώσεων Craseos* humorum, fingere, quàm in *simplicitate*, & tamen veraci efficaciam, etiam *pauciorum* hujusmodi rerum, acquiescere: 6) quod defecerint quàm maximè, in verâ *mechanicâ* ratione harum rerum, ad varios affectus, tanquam illarum *effectus*, demonstrandâ; dum interim in irritis & inanibus *mechanicis potentiis*, fictarum illarum *materialium* variarum causarum, otiosè tempus perdunt, seu potius nugas agunt.

V.

Nusquam autem certè invenire licet, verum atque solidum *fundamentum*, cui innitantur, tam ipsi numerosi affectus, quàm crebriores illorum *RECURSUS*, & de tempore in tempus *faciliores* atque *proterviores*, exacerbationes: imò denique, sed indaginis certè circumspectioris negotium, *METASCHEMATISMI* unius ejusdemque affectus, *locum* solum, *apparatum*, & faciliorem aut difficiliorem *exitum*, mutantis: *Quin tandem ASSVETVDINES* importuniores, sen-



fenfim fenfimque *insolescentes*, & insolitum morem atque *schema*, tantò magis capeffentes: Nusquam, inquam, inveni-  
etur unquam hoc fundamentum, nisi in *triplici* illa, sed tamen  
perpetuò *reciproco* respectu atque nexu, *complicatâ*, *causa-*  
*rum* efficacia. Nusquam invenietur *fundamentum*, discer-  
nendi varios *ACTVS*, qui *extraordinariâ* quidem, & plus mi-  
nus molestâ *contentione*, pro morbidis affectibus reputari pro-  
meruerunt: interim multis modis *tolerabiliores* existunt,  
quàm alii, qui his non feliciter procedentibus, aut impruden-  
ter repressis, in locum succedunt: aut mox, per errorem in-  
dolis, aut seductionem causarum occasionalium, *neglectis* illis  
convenientioribus, *præposterè* atque *præmaturè* suscipiun-  
tur, aut *negligenter* admittuntur, aut *trepidè* atque *anxiè*, *ti-*  
*midè* aut *turbulenter*, agitantur.

VI.

Ubi autem invenietur ullum *fundamentum*, quomodo  
Medicus aditum invenire possit, ad ipsam *indolem* veram, *mul-*  
*torum*, imprimis autem ratione *ordinis*, præcipuorum atque  
*primorum* affectuum & influxuum, decentes suppetias, & tam  
*materiis* consentanea, quàm ipsi *ordini*, & *intentioni* Naturæ  
accepta, curationis æquè, atque peræservationis, subsidia, im-  
primis de verè utilium *Exonerationum* magis, quàm simplici-  
ter *evacuationum*, censu; quando satis perspectum non habet,  
*utiliorem* passim, effectum etiam *spontanearum* talium *exone-*  
*rationum*, ad quales ipsi hujusmodi affectus passim ita *tendant*,  
ut velut unicè ex *apparatibus* hujusmodi *elisoriiis* conflen-  
tur, & *symptomata* illorum, tanquam evidentè tribui mere-  
antur, *contentioni*, ad illos *exitus* respicienti atque incum-  
benti. Non autem iterum hic, quod multi quiritantur, de-  
nuò arguemus, tum *antiquam* passim (quantum ferè ad *Theo-*  
*riam*) tum etiam, & tanto magis quidem, *recentiorem*, iniqui-  
tatem, quâ passim propemodum hoc ipsum, quod nos, cum re-  
rum natura, fundamentalis *utilitatis* nomine laudamus, pro-  
priè pro *ipso morbo in formâ*, arripiunt; eoque ipso & intel-

*ligendi, & utendi*, omnem viam atque aditum, sibi aliisque præcludunt. Id quod alio testimonio, nec locupletiore, nec evidentiore, confirmari potest, quàm HAEMORRHAGIIS, & ad illas pertinentibus *apparatibus*, & hos stipantibus hic illic *difficultatibus*, & has pertim stipantibus *contentionibus* acrioribus & obstinatoribus, partim, si non procedat cœptum, tunc demum verè *passivis* pejoribus consecrariis. Quibus autem hoc testimonium non sufficit, illis nec usui fortè esse poterit allegatio *morborum Ætatum*; si enim ipsum nudum *fundamentum*, contueri aliquis non valeat, difficilius haberi poterit, per superstructa demum fundamento alia machinamenta, fundamentum perspicere.

VII.

Constituimus autem ita, atque firmum ratumque omnino esse volumus, quod multorum affectuum morbidorum fundamentum constituat PLETHORA; ita tamen, ut *propior* ipsius agendi ratio, sive, ut in scholis loquuntur, *influxus*, satis perspectus habeatur, non solum ad reliquum conceptum melius hinc formandum: sed etiam ad recte instruenda, imprimis temporis optimi intuitu, subsidia artificialis *Exonerationis*; Sicut enim multis, & imprimis tam molestissimis, quàm importunis atque insolentibus, affectibus, non tam *Plethora*, quàm COMOTIO ejus ad ipsum *exitum*, seu *spontaneam hæmorrhagicam depletionem*, contendens, fundamentum substernit; quæ demum, vel ratione *quantitatis* aliquid exerrat; vel ratione *successus*, impedita atque implicata, turbidiores methodos, atque *colluctationes*, imò contumaciores *impetus*, suscipit atque persequitur: ita est profectò, variis casibus & respectibus, non leve passim, tam prudentiæ, quàm peritiæ, objectum, recte ipsi subvenire, & opitulari, ut equidem *intentio* ipsa, quousque quantumcunque tolerabilis, atque *justa* est, ad desideratam metam perducatur; interim quilibuscunque ejus *impedimentis*, quin ipsis debitis, si spontè  
eni-

eniti debeat, *apparatibus* operosioribus præoccupandis atque sublevandis, ita ex voto consulatur.

VIII.

Sicut autem circa hoc universum negotium *fundamentum morborum Ætatum*, & aliquarum etiam *adsuetudinum*, (nempe peculiaris propensio atque directio ad determinatas *regiones* corporis, intra quarum ambitum *actuali exitui exoneratorio*, tanquam solennis aliqua porta atque exitus patere potest & solet,) pro feliciore executione ferendi subsidii, plurimum utique contribuere debet: ita frustra certè hic est nimis *generalis* illa, vulgaris scholæ Medicæ intentio & inventio, qua nihil aliud animo suo proponere cordi habet, quam generalem ejusmodi, simplicis *abundantiæ* quantitatis sanguinis imminutionem: sine ullo respectu, ut etiam jam *formatae* quadantenus, nedum *usu* jam *firmatae* passim, intentioni, se accommodando, tantomagis illud, quod imminutorio hoc scopo adhuc hinc inde præ se fert, assequatur; nempe satisfaciendo ita aliquatenus, etiam jam *propiori* Naturæ intentioni, tantò certius *præoccupet* proprios illius, *operosiores*, & si obstacula obsistant, *importuniores*, imò *ferociores*, ausus & conatus.

IX

Sanè verò, quid hæc non ita diffusa paragrapho, latè patientis, & in ingens spatium sese diffundentis, designetur, nemo unquam satis, in ipsis factis seu exemplis, intellectu assequetur, qui nesciverit, imò non satis *perspectum* habere allaboraverit, tam *qui*, & *quot* affectus, *hæmorrhagici* scopi *intentionibus* atque *contentionibus*, innitantur; quam, quoties hæc res in quotidianis talium affectuum exemplis, occurrat, imò quam rarò aliunde, quam ex hac radice, prognati, talium schematum affectus, occurrant. Ubi certè longè aliam faciem deteget variarum *circa Caput Congestionum*, atque ita *stagnationem*, & inde nascentium *cephalalgorum*, *hemicranicorum*, *Ophthalmicorum*, *Otalgicorum*, dolorum; impri-

mis per alieniores jam à *narium hæmorrhagia*, *Ætates*, affligentium; quam ab efficacia feroci & incoercibili *Salium scorbuticorum*, aut peculiari suâ figurâ, non nisi capitis quarundam partium *poris*, infestorum. Eo ipso verò longè plus etiam subsidii pro tali constitutione invenient, in *Ventilatione Sanguinis*, habito respectu ad communius quasi destinata, in tali *etate*, *exonerationum loca*: idque non unicè & simpliciter, licet magis constanter atque firmiter, per ipsam in illis locis liberalem *emissionem*: quam proportionatè etiam, & sanè tamen ad ipsum sensum quoque, in solâ *derivatione* ab istis *alienioribus* regionibus & partibus, & quasi blandâ revocatione, ad aliquantò convenientiores, & hoc intuitu etiam tolerabiliores. Quo interim *fundamento*, ignoto aut neglecto, nihil certius, teste quotidiana experientia, evenit & obtingit, quam ut sive *frustrâ*, multiplex & multiformis, labor insumatur; vel per medicamenta, ex hypothesi, *exagitationi* potius sanguinis, & ferociori, pro ejus *elisione*, *commotioni* irritandæ paria, affectus tales reverà exasperentur: vel per in auspiciatum interventum *narcoticorum*, affectus tales, sæpè etiam in præsens, tantò certius autem in futurum, *obfirmantur*: imò inde in varios *metaschematismos*, & juxtâ *insolitos* atque *insolentes*, *typos*, in transversum agantur.

X.

In promptu sanè essent varia hujus rei exempla, ejusdem argumenti, qualia à D. Præside, partim in Pathologia, partim *de motibus humorum spasmodicis*, *de commotionibus sanguinis translatoriiis & eluctatoriis*: *De insolitis mensium viis*: *de motus sanguinis vitiis*, non pendentibus à *crasi*, aut *viis ejus* (qui peculiaris ibi allegatus, casus, huc usque, assistente divina gratia, secundum ibi formatam theoriam atque therapiam, in eam semitam reductus est, ut menses per debitas sibi vias jam aliquoties exitum invenerint,) & similibus aliis, quantum satis esse potest, in medium, paradigmatum quasi loco producta sunt: in quibus passim variorum, *congestiorum*

*contentiosorum, tonico - spasticorum, imo convulsivorum, contumacium, rebellium seu recurrentium, in pejora quoque schemata magis magisque ruentium, affectuum, specimina affatim occurrunt: cui rei etiam facem præferre potest Dissertatio, si quæ alia profectò verè Practici argumenti, de Metaschematismis morborum; sicut etiam altera, de Pathologiæ Practicis fundamentis, mentem nostram circa hæc negotia elucidare potest.*

XI.

Illud autem in omnibus talibus exemplis, agnoscere licet, quemadmodum *hæmorrhagiarum è naribus, fluxus menstrui, fluxus hæmorrhoidum, arbitrariarum sanguinis missionum, tam V. S. quam scarificatione, imo alicuti hirudinibus, alibi imminutiones, alibi impeditiones & suppressiones, alibi, exitu non patente, tamen exagitoria incitationes, imo undecunque tandem, subnata, conamina, molimina, quin qualescunque pertinaces connisus, FUNDAMENTI locum habuerunt; adeò, ut nisi his, tanquam omninò præcipuo loco, quoad usquam fieri potest, consultum fuerit, tota reliqua cura, etiam non contemnendis de cœtero remediis suscepta & adornata, vel planè frustranea, vel impeditissima, vel exitu certè summe infida, insufficiens, & inconstans fuerit: quod etiam quoties similia exempla occurrunt, quod fere indies obtingit, perpetuum est, & erit.*

XII.

Equidem occurrunt revera, animum huc decenter advertenti, in Praxi, qualicunque etiam, constituto, exempla horum generum; adeò, ut multis paradigmatis rem ulterius præfigurare, propemodum inutile, certè supervacuum, videri possit; placet tamen unum aliquod adhuc memorare, saltim quod etiam adhuc propiore tempore obtigit, considerationem tantò magis promerens. Illustris fœmina, habitus corporis, non æquè statura, quàm texturâ, tenerioris, floridi prorsus coloris, & animi etiam alacris atque præ-

sentis, secundum Conjugium paucis abhinc annis ingressa,  
 triginta, aut circiter annorum, antè menses etiam haud ita  
 multos, abortum, sed admodum adhuc immaturi fœtus,  
 perpeffa, sanguine ita affluens, ut nullum esset Plethoræ si-  
 gnum quod in ipsa non luculenter emineret; cum insuper,  
 licet à longiore retrorsum temporis spatio, sollicitudini  
 paulò largius indulgendi occasiones habuisset: incurrit,  
 præter oppletivos atque gravativos capitis dolores, indefi-  
 nentes, sed tamen per levem occasionem acrius exasperan-  
 dos, promptissimas angustias, præcordiorum magis, quàm  
 pectoris; cum inflatione etiam, ad minimum tensione mul-  
 tiplici & propemodum familiari, ventris, flatulentâ, quæ  
 sic satis facilè ad sensibiles angustias, anxietatem subinde  
 suadentes, incresebat. Erat sub his rebus ipsa Ill. patiens  
 corporis viribus ita prægravatis, & oppletione lassis, ut et-  
 iam non rarò animi ipsius reliqua alacritas, tanquam in  
 consensum tracta, languorem capessere sentiretur. Hæ  
 circumstantiæ in illum denique quasi typum seu rhythmum  
 transibant, ut manè quidem evigilans, (post ortum, com-  
 muniter, æquinoctialem,) propemodum optimè omnium  
 haberet: Imò etiam, quamdiu adhuc in lecto manebat;  
 postquam autem surrexisset, citrà refrigerationem, utpote  
 investimentis hodierno more, dormire assueta, sentiebat  
 mox perturbationis Capitis augmentum, doloris verius a-  
 cumen, præcordiorum tensiones, & varium fastidiosum  
 languorem, usque ad meridiem. Cum interim appetitu  
 sic satis sibi constaret, edebat minimè parcè: pertæsa verò  
 cerevisiarum molestiorum, bibebat communiter Gallicum  
 Vinum rubellum, leviter adstringens, quod de Pontac ap-  
 pellant. Saturata, percipiebat tempestivè omnium suorum  
 incommodorum augmentum; doloris inquam Capitis, ten-  
 sionis & pressionis circà præcordia, ad angustias usque an-  
 xias, intensionem: & super hæc omnia magis magisque in-  
 solescentem languorem, seu potius oppletivam gravitatem,  
 quæ

33 quæ animi usque deliquium minari videretur : unde fen-  
 33 sim pallefcere, frigefcere, & magis magisque tanquam op-  
 33 opprimi, videbatur: quamobrem in lectum fe conjicere  
 33 neceffarium ducens, cum ibi dimidiam plus minus horam  
 33 jaceret, non quidem æftu, aut effatu digna phlogofi, fed ta-  
 33 men calore exundante, rubore; insigniter florido, imò in-  
 33 flatione faciei florida, afficiebatur, etiam vigilans, qualis a-  
 33 lias plethoricis, per æftatem post cibum superlecto dor-  
 33 mientibus, obtingere folet. In hoc fitu non ceffabat tenfi-  
 33 va anguftia circà præcordia, augefcibat autem communiter  
 33 capitis dolor, donec absoluta digeftionis periodo, ad vefpe-  
 33 ram, nonnihil alleviata, & ferò in super cænare adfueta, le-  
 33 ctum poft hac ingreffa, non quidem fine moleftiis, ante  
 33 mediam noctem, fed tamen ab illo circiter tempore placa-  
 33 tius, usque ad supra dictum matutinum tempus, dormiret.  
 33 Sub his rebus procedebant menses, & tempore exquisito,  
 33 & mensura larga fatis; primo tamen, & poftremo femper  
 33 die, qui octavus erat, etiam copiofè, & tanquam impetu quo-  
 33 dam. Alvus, non quidem stricta erat, aut ficca, fed tamen velut  
 33 ordinariè tardior: Concurfabat ultimò, fi non tumor, certè  
 33 tamen conspicua inflatio pedum, ad malleolosusque. Nec  
 33 ipfa negligens fanitatis fuæ; & ab Illuftri Conjuge, & con-  
 33 fanguinitate etiam, non omittebatur follicita cura pro refti-  
 33 tuenda tranquilliore fanitate, & quorumlibet horum incom-  
 33 modorum mitigatione, imò expugnatione. Frufta autem  
 33 huc usque omnia, quando quidem in hoc ftatu quem descri-  
 33 psimus, tumoris imprimis illis initiis, metum & follicitudi-  
 33 nem augmentibus, meum, Præfidis, Confilium expetiit. Ut  
 33 ante oculos quasi conſpiciebam manifefiffimam Plethoram,  
 33 neque mirari fatis poteram, ( niſi quod perdita hodiernæ  
 33 ſcholæ, inter ſexcenta ſua illa Salia mirè infulſæ, phantaſma-  
 33 ta, de craſi humorum, per ſcorbutica, Salia, jam bulliente,  
 33 jam frigente, imò rigente, omnem conſpectum ſimplicio-  
 33 rem eripere fatis noverim, ) quod in tam evidentibus hujus-

„ modi abundantia signis, imò effectibus, Plethoræ ratio ha-  
 „ benda, adeò nulli placuisset, ut etiam esset, qui hic frigidif-  
 „ simum illud somnium allegaret, quod *sanguis perfrigera-*  
 „ *tus* sit. Sicut autem omninò Plethoræ rationem maximam  
 „ habendam esse agnoscebam, tanquam generalius fundamen-  
 „ tum hic maximè situm sentiens; ita minime obliviscebar, et-  
 „ iam Uteri largum illum, tanto magis autem impetuosum, qua-  
 „ si per insultus quosdam, licet tempore exquisite ordinatum,  
 „ fluxum, suspectum habere, & quod exabortu aliquid reliqui-  
 „ arum negotium facebat, hariolari: Tantomagis, mox a pro-  
 „ pinato remedio, ad hunc casum omninò singulari, cum tan-  
 „ quam per ipsa initia Therapiæ à me instruendæ, consuetus  
 „ ille initialis impetus, vix intra horæ spatium ab assumptione ita  
 „ conquiesceret, ut patientem ingenti formidine percelleret,  
 „ ne simul & semel supprimere fluxum, in animum venisset.  
 „ Interim procedente omni modo, quantum fatiserat fluxu,  
 „ decem fortè post diebus etiam in pede secta Vena, & usur-  
 „ pato post aliquot dies pediluvio, (de quo adhuc aliquid di-  
 „ cendum venit,) non evanuerunt solum dolores illi Capitis,  
 „ sed indies, & præsentissimis successibus, omnia reliqua huc  
 „ usque plus integro anno, non tolerata solum, sed in sole-  
 „ scentia etiam magis magisque, incommoda omnis generis:  
 „ Ita, ut adspirante divinâ Clementiâ, non solum plenam, sed  
 „ etiam constantem, sanitatem, jam totis duobus annis posse-  
 „ derit, imò insuper, benedicente altissimo, exoptatissimâ pro-  
 „ lepotita, hanc, (medio & ultimo gestationis tempore, cum  
 „ sensibili summâ evphoria admissâ VSne,) non gestaverit  
 „ solum tranquillissimè, sed etiam non ita multos ante dies, fe-  
 „ liciter etiam pepererit. Quod ante tanquam asterisco no-  
 „ tavi, suaferam pediluvium, sed tamen in subjecto tenero &  
 „ maximè sensili, cum cautionibus; ante omnia, ne illud ni-  
 „ mis diu continuaret: tum etiam, ne in conclavi usurparet,  
 „ in quo tunc morari contigerat, inferiore ædium, ab humido  
 „ frigore suspecto: quo intuitu etiam adhuc per aliquot dies,  
 „ do-



„ donec in superiorem contignationem habitationem trans-  
 „ tulisset, differre svaseram. Cum autem superveniret alia  
 „ mulier nobilis, quæ non solum mirè probabat consilium pe-  
 „ diluvii, sed & insuper metum omnis incommodi dissuade-  
 „ bat, properat patiens non solum ad pediluvium, sed omni-  
 „ nò infessum ad Cingulum usque, in eoque bene calido, tam  
 „ diu moratur, donec etiam superiore corpore sudaret. Ex-  
 „ calefacta hinc adeò insigniter est, ut omnia reliqua incom-  
 „ moda, quæ jam manus dedisse visa erant, denuò commo-  
 „ veri apparerent: nox certè inquieta, præcordiorum angu-  
 „ stia cum insigni totius concalesfactione, quæ posterum quo-  
 „ que diem ad vesperam usque explebat, nihil boni promit-  
 „ tebant: meliorem tamen spem meritò fovebat, hic dispar  
 „ eventus, imò effectus, quod indefinens ille huc usque do-  
 „ lor, quantumcunque etiam mitescere cœpisset, capitis, sta-  
 „ tim totus sublatus sentiretur: quod etiam posthac constan-  
 „ ter fervans, & vix levibus, etiam post insignes occasiones,  
 „ mussionibus, repullulans, verè communi, nullo autem  
 „ proprio pristino, more, cum etiam huic novæ commotioni  
 „ mox feliciter consultum esset, omnia adoptatam illam sani-  
 „ tatem redierunt, quam, sub divina ante omnia laude, lau-  
 „ davimus. Enimverò non frustra iterum iterumque mo-  
 „ neo, Præses, ut ubi Abortus præcessit; ingens ratio habeatur,  
 „ veræ atque plenæ expurgationis Uteri: Sed per verè  
 „ fida remedia, quæ fideliter hoc agant; minimè verò quic-  
 „ quam turbarum faceffant, uti quidem usitata his intentio-  
 „ nibus dicata, familiarissimè faciunt. Et est omninò adhuc  
 „ memorandum etiam de hoc præsentè casu, quod quinta de-  
 „ mum periodo menstrua, usurpato interim per singulas, sed  
 „ moderatius, medicamento bono, tandem excussum ex ute-  
 „ ro, licet non ita magnum, solidum tamen concrementum,  
 „ etiam hunc insolidum liberum atque purum præstiterit:  
 „ quamlibet non statim secuta sit conceptio &c.

XIII.

Non repetimus autem non solum ita, maximo jure meritoque, etiam jam ante datam declarationem, quod præcipuum *fundamentum*, ad quod dirigenda veniat Curatio de qua agimus, collocemus in sanguinis *commotionum* atque *Congestionum*, tempestivis atque opportunis, *ventilatoriis*, sublevationibus atque præoccupationibus: & hoc maximè tanquam magis *in genere*. Sed asseveramus etiam, specialius, quod peculiaribus locis, sive jam adfuetæ, sive ingruentes, imò *contentendentes*, & velut *eluctantes*, hujusmodi *commotionum* & *exonerationum*, *conatus* atque *apparatus*, specialiorum hujusmodi affectuum, & consequenter etiam *tractationum*, propria aut magis propria, utique tamen *fundamenta*, forment.

XIV.

Imò, licet planè specialissimè, considerandi hic sunt omni modo, etiam alii *prægressi* affectus, & inter tales, FEBRES, minus commodè & solidè tractatæ atque curatæ; *Puerperia*, & *abortus* prægressi, infelicius progressi, & mala fide magis palliatis, quam vere curatis, suis malis circumstantiis; *Rheumatismi*, *Erysipelata*, *scabies*, retropulsa: *Arthritides*, malum *Ischiadicum* & *Podagra*, inauspicatò stupefactæ aut repressæ: Valdè & laboriosè *mobile*, aut undecunque, cum agitatione humorum, *sudoriferum*, vitæ genus, posthac imprimis simul & semel, cum desidiâ permutatum: *Fonticuli* gesti, *ulcera diuturna* suppressa, *scarificationes* omisæ &c. & alia his similia. Ubi tamen iterum iterumque utique commendamus, ut animus advertatur, ad hujusmodi affectuum *prægressorum* genera, qui ad variorum generum *exonerationes*, & *apparatus* eò pertinentes, respiciunt. Nisi enim talibus *prospectum*, imò quantum fieri usquam potest, *satisfactum*, fuerit, universa certè reliqua cura, non solum solido *fundamento* destituetur, & merè palliativa habenda erit; sed *duplici* etiam difficultate atque incommodo stipata; ut nimir:

mir: ex unâ parte, etiam ipsa, quantamcunque tranquillior  
 atque plenior, *pacatio* ejusmodi *temporaria*, satis certè dif-  
 ficulter impetrètur: partim autem etiam facillimè, & fami-  
 liarissimis hinc exemplis, si medicamenta *opinionibus*, quas  
*nomina* ipsorum præ se ferunt *contraria*, (quorum ingens est  
 numerus,) ad hujusmodi casus in usum trahuntur, faciliior  
 sit impulsus in *deterius*, & *heteroclitia*, pathematum genera,  
 quæ sua spontè, & citra hujusmodi *perturbationes*, planè  
 non, aliis eadem de reliquo perpessis, evenire sentiuntur.

XV.

Cum itaque in communi Praxi, utique nulla sit major  
 frequentia, quam *Februm* varii generis, & affectuum ejus-  
 modi *chronicorum*, qui vel plusminus eodem, *schemate*, sæ-  
 pius denuò *revertuntur*, & exasperantur: vel, mutatis qui-  
 dem *schematibus specificis*, *genericam* tamen servant indo-  
 lem, *tonico-spasticorum*, *congestorio-stagnatoriorum* affectu-  
 um, & hinc varia, *sensuum* æque, atque *motuum*, tam *sanguini-*  
*nis*, quam *fibrarum* muscularium, molesta & insolita cœtero-  
 quin, *confectaria*: Talium autem curatio, sine *agnitione*,  
*prudente æstimatione*, & peritâ *tractatione*, ejusmodi *funda-*  
*mentalium* affectuum, qualium serè etiam vulgò agnoscun-  
 tur *symptomata* hæc talia existere, nunquam feliciter fuscipi  
 aut absolvi valeat: quid proinde magis justum atque necessa-  
 rium haberi meretur, quam serius respectus, ad hujus generis  
 methodum, quæ verè penetret ad hos tales, *fundamentum* re-  
 liquorum constituentes, affectus.

XVI.

Minimè autem ex vano innuimus, quod multi tales,  
 quotidiè passim occurrentes, sæpe *recurrere* adfuescentes, &  
 varia *schemata* effingentes, affectus, de *motuum spasticorum*,  
 & sanguinis, uti vulgò loquuntur, *regurgitationum*, censu,  
 etiam serè vulgò agnoscantur pro SYMPTOMATIBUS alio-  
 rum generaliorum. Siquidem nemini ignotum est, quod in-  
 numeri *insultus*, *chronici*, & sine *acuto* periculoso exitu,

ægros exercentes, & ita etiam de tempore in tempus, imprimis per datas occasiones, recrudescentes, in foeminis *Utero*, seu *hysterico* malo; in Viris, *hypochondriaco*: & jam propemodum à seculo, (ubi Sennertus, & aliqui ejus auditores ab *hypochondriaco* Malo orsi, etiam *scorbutum*, tanquam in subsidium istius, latissimè extendere susceperunt,) *scorbuticæ* intemperiei, ita imputentur, ut, si res tranquillè æstimeretur, nihil aliud confici inde possit, nisi quod *omnes tales affectus*, non nisi *symptomata* horum, imò symptomatum *schemata* multifaria, haberi mereantur,

XVII.

Illud autem insuper dolendum, imò potius ad emendationem ejus connitendum, venit, quod horum etiam *trium* generaliorum malorum, veræ rationes *Pathologicae*, *Praxeos* felici *usui consonæ*, adhuc tanquam profundè reconditæ, & veluti sepultæ jaceant. Obrutæ certè gravissimo illo præjudicio, quasi veræ illorum causæ, nusquam quærendæ aut inveniendæ essent, nisi in *CRASEOS* humorum, multifariis, & nusquam satis ad conceptum determinandis, vitiis; *μυγίσις Hippocratis*, *sexcentis* Latinorum, *Saporibus*, seu *salinis* *potestatibus*. Unde etiam ad verum *usum* Practicum, inde nullum majus commodum redundavit, nisi quod, v.g. *antiscorbutica*, qualemcunque, longo tempore & usu, & sic satis rarò, *mitigationem* scorbuticorum non strictissimè talium, pathematum: aut *hystericos* dictos impetus, *mitigantium*, *empiricorum* remediorum energias ac operandi modos, ad oppositas *salinas potentias* referrent: adeoque Praxi nihil usquam novam aut solidum, sed unicè opiniones aliquæ, & opinabiles explicationes, hinc evenerint.

XVIII.

Quamvis autem subolfecerit ipsum propemodum hominum vulgus, quod *Uterinorum* pathematum, ad minimum ingentes deteriorationes, imò etiam passim quasi totas *origines*, & veluti primos *fontes*, formet & constituat, *evacuationum*,

men-

*menstruarum sanguinearum*, vel mox à primis initiis, impeditus & immorigerus *successus*: vel *progressus* ejus objecta *perturbatio*, aut planè *suppressio*: Cum tamen Medici speculatores, observarent, quod alibi, etiam *revocatis* menstruis evacuationibus, alibi vel sponte quasi in ordinem, aut certe libertatem, redactis, tamen anxia illa *spastica* pathemata, non æque, aut proportionatè, evanescant: fuerunt propemodum ipsi passim in culpa, ut bonus atque legitimus *usus* hujusmodi considerationum, *nexus* inquam *hystericorum* affectuum, cum *evacuationis* sanguinæ menstruæ *apparatu*, æstimationes debitæ, certè temerè, interciderint: Dum 1.) *apparatus* *tonicos*, circa excretionès sanguinis *dirigendas* & *exigendas*, occupatos, non satis pensitarent; 2.) *promptitudinem* atque *pervicacitatem* *adsuetudinis*, ad animum non admitterent: quæ imprimis posterior, nulla amplius ratione aut *proportione*, sequitur illas *causas*, per & propter quas primò suscepti fuerant hujusmodi *motorii* conatus.

XIX.

Tantò minus autem, facta hujusmodi offensione in ipso limine, admittere posthac ad animum licebat illam spem, quæ tamen peritæ Praxi quam maxime consentanea est, quod etiam pessimè *moratorum* talium *pathematum*, insignis, imò aliquando plenior, cicuratio, sectetur passim, ipsam *uterinæ* *evacuationis* verè restitutam libertatem. Nisi quod etiam non rarò utique hæc restitutio liberi exitus, equidem ipsa non planè *sufficiat*; interim, in hodierna imprimis illâ Medicinæ confusione, veluti impediatur magis *speculativos*, ut de ulteriore *exoneratione* atque depletione minimè cogitare necessarium ducant: adeoq; insufficientiâ quomodocunque impetratæ *nudæ* *evacuationis* ordinariæ, minimè adhuc eo ipso assequantur veritatem *casus* illius, peritis atque solertibus practicis perspectissimi, quod, etiam *liberrimo*, imò *largo*, menstruo *fluxu* præditis, tamen passim, non solum insignis *Plethora* *onus* molestum faceffat; sed etiam ad ipsas usque *hystericas* *spasticas* *commotiones*, portam aperiat.

Tantò minus autem mirum utiq; esse potest, quod *hypochondriaci* totius dramatis *apparatus*, verum sui scopum nusquam adhuc affecutus sit, i. e. non persuadere adhuc potuerit Medicis, quod totus versetur in *propensione*, imò passim *contentione*, ad *hæmorrhoidalem*, ( aut, licet rariore *pervicacia*, *cruenti vomitus*, ) exitum. Unde, implicatâ, & verè obstructâ, contemplatione, seu potius opinione, horum speculatorum, in phantasticis illis *obstructionibus* vasculorum *me-saraicorum*, nulla veritati consona explicatio, aut agnitio, in mentem venire potuit; quomodo hujusmodi variæ *tensiones*, *contentiones*, *pressiones*, imò interdum etiam *distensiones* & *oppletiones*, partim à *coacervatione* sanguinis, non obstructoria, sed *appulsoria*, ad *Venam Portæ*, formentur: partim postliminiò & *reciprocè*, à *repulsorio* denuò connisu *spastico*, circa hæc ipsa loca: respicientibus tamen omnibus, imò *contendentibus*, his rebus partim ad elisionem *hæmorrhoidalem* aut *hæmat-emetoden*; aut contrâ, impendentium à denegato hujus conaminis *exitu*, incommodorum, novam *repulsionem* atque *dissipationem*.

XXI.

Quemadmodum autem non affatim solum, sed certè abundè, de his rebus verba, & ad imperitiorum etiam nauseam ( unde *crambe recocta* audiebat, ) feci Præses, Dissertationibus pluribus, in primis tamen de *Motu Sanguinis hæmorrhoidali*, de *Vena Portæ porta malorum*, de *Commotionibus sanguinis activis & passivis*, de *motibus humorum spasmodicis*, de *hæmorrhoidum internarum motu*, &c. &c. & in *Pathologia* etiam hoc filum prosequi cordi habui; Ita habeo etiam, quod non tam mihi, nam certè mea res non est, sed veritati *Physico-Medicæ*, gratuler, dum non solum satis multorum, sed imprimis etiam Praxeos compotum & optimè peritorum, *Virorum*, suffragium, plus certè, quam propemodum sperare ausus eram, huc usque expertus sum. Opto autem meritò ut  
adhuc

adhuc latius, quoad DEo visum fuerit, hæc veritas pandendi sese locum inveniat. Quandoquidem hic certè est fundus atque *fundamentum* non solum *Hypochondriacorum*, sed etiam inde, per Consensum, variè, ut vulgò loquuntur, *exundantium & regurgitantium* affectuum, circa *Caput, pectus, Venter*: ino habitum corporis externum, & ipsos maximè *artus*; omnis generis *arthritoides, rheumaticis* inquam, *arthriticis, nephritico-ischiadicis, & podagricis*, tumultibus. Iterum dico, profunda hic sunt, & sanè firma atque fixa, grandium & multorum, incommodorum, aut si peritè gerantur, benè gerendarum rerum **FUNDAMENTA.**

XXII.

De *scorbutico* verò malo, ita, uti vulgò ab hodierna schola medica fingitur magis quam pingitur, *universaliore* illo nempe, & per totum corpus diffuso, sicut in tota *massa* humorum, velut insito & radicato, (suo interim loco relinquens *nauticum* imprimis, *maritimum*, & *frigidioribus* Climatibus etiam extra mare, incumbens, *stomacaces* atque *sceletyrbes* ferax,) uti, iterum dico Præses, prolixius occupari aut commentari, in animum non induxi, contentus hic illic mentem meam innuisse, quomodo etiam hoc, quodcunque tandem habeatur aut sumatur, malum, quamplurimum certè debeat, imò veriùs tanquam *fundamento* innitatur, partim *colluctationibus* atque *contentionibus* *translatoriis* atque *elisoriiis*, sangvinis: partim hujusmodi *spissitudini*, (non quidem tam mirificæ, & innumerarum formarum, sed etiam simpliciiori grumescenti,) quæ deinde partim propulsorias *spasticas*, partim *ventilatorias*, adeoque variè *congestorias*, vehementias provocet. Ubi, sicut ad simplicissimam sangvinis *spissescentiam*, excessus *quantitatis* ejus, sub vitæ ratione *segni* atque otiosa, quamplurimum utique, & sine inanibus figmentis, reverè *mechanicâ* ratione atque efficacia, valet; præterea semel conceptæ, tantò magis autem à materiali tali proportione, tanquam perpetuò sustentatæ, *necessitates* potius, quàm simplices  
*inter-*

*intentiones*, partim *expediendi* laborantem progressum, partim planè *exonerandi*, idque per *tonico-spasticos* motus, variè auctos & variè tentatos ac instructos &c. Sub quibus rebus, quid iterum sibi vendicet, & qualem inter *fundamenta* totius talis affectus, locum habeat, tam consideratio justa, quàm tractatio congrua, *abundantiæ* minuendæ; *craseos*, posthanc *ventilationem* feliciter corrigendæ, & *exerrantium conatum* atque *directionum*, subducto *objecto* irritationis suæ, tanto feliciter in tranquillum ordinem redigendarum: Hæc inquam omnia, prudens harum rerum observator atque æstimator non poterit ignorare: tantò magis autem, si prudenter ad PRAXIN transferre intellexerit atque susceperit, hujusmodi tanquam *fundamentales*, considerationes atque intentiones, agnoscet ipso facto, quanti sit, ad ipsa rerum *fundamenta* animum adjecisse, & consilia direxisse.

XXIII.

Ita quidem usitatorum, *interno* domestico fomite gliscentium, variorum *Chronicorum* affectuum *fundamentum*, disertè collocamus in sanguinis quantitate *abundante*, *qualitate* etiam simpliciter *spissescente*: & *motu*, circa secretionem seu *propulsiones* & excretionem seu *exonerationes*, variis *apparatibus*, *conatibus*, *contentionibus*, *repetitionibus*, nutante, mutante, tumultuante, rebellante, & in varia schemata atque larvas prono, vagisque grassationibus, & occultis passim, quasi defixis *contentionibus*, minus cauto spectatori ita imponente, ut ne quidem faciem ejus, *motus* inquam, perspicendi & agnoscendi compos maneat, sed potius etiam operose confingendis *materiis*, culpam imponere malit, quam ut hunc perspicere, & ut est, *motum* verum, agnoscere possit. Superest, ut etiam de *fundamento* Curationis ACUTORUM affectuum dicamus, & quomodo Curatio ad illud dirigenda atque applicanda veniat, innuamus.

XXIV.

Est autem hoc *duplex* quidem, sed commune hoc utique



que habet cum hucusque monstrato *triplici* Chronicorum pathematum, quod *nexum mutuum* inter se invicem involvant, *duo* hi, quasi lapides fundamentales. Est nempe *unum* horum, *materia* in massa humorum vagans, aut *motu* humorum, è parte aliqua disturbanda atque depellenda; quæ sive immediate magis, sive mediate, certè *proxime*, ingentem, & imprimis *putridam, corruptionem* concipiendi compos, imò plus minus in illam propensa, eo ipso debeat è toto corpore expelli & proscribi. *Alterum* fundamentum, est *mensura temporis*, hujusmodi scopo non solum *ingenere* debita, & omninò, per *successus mechanicos* secretionum & excretionum, necessaria: sed etiam passim, *specialiter*, ita in *paroxysmos*, aut *septenarias periodos*, digesta atque distributa, ut has etiam non magis *observare*, quàm peritè atque *circumspectè sequi*, & in *verum usum* convertere, pro *verâ methodo* curandi, postulatum sit, nullam excusationem admittens.

XXV.

Est autem præterea meritò notandus, tanquam *contrarius* ordo atque habitus, harum fundamentalium rerum, & rationum *acutorum* affectuum, in comparatione ad fundamenta, in *chronicis* observanda. In his enim posterioribus, illa, quæ *fundamentorum* rationem habent, gerunt se ut *causæ antecedentes*; adeò, ut illarum quasi *præoccupationi* quàm plurimum tribuere ac invigilare, necessarium videatur; In *acutis*, è *converso*, tota intentio atque cura dirigenda venit ad executionem expugnationis causarum quàm maximè *proximarum*, & promotionem *expulsionis* earundem, jam actu *fiæntis* atque *vigentis*. Quandoquidem certè nimis *speculativum* futurum esset, causas etiam Febriles adhuc pro *antecedentibus* explicare. Licet enim hoc omninò verum sit, quod illam speciem *effectus* sinceri, quem producere plus minus promptè atque directè valerent, non planè *assequi* soleant aut debeant; adeoque dum talem adhuc solum minantur, & quasi *machinantur*, minimè tamen penitus absolvere

permittantur, magis adhuc pro *antecedentibus*, quàm *proximis*, nedum in *actu* constitutis causis, reputari mereantur. Est tamen satis manifestum, quod etiam hoc exquisito sensu acceptionis, non nisi ad ultimum, quem non simpliciter assequi debent, eventum efficaciam suam, *antecedentis* causæ rationem habeant: minime autem ad *Febrem*, ad quam potius veræ *continentis* causæ habitum sistunt. Ut adeò manifestæ veritatis sit, quod diximus, quod in *Chronicis*, *præoccupatio* atque *præreptio*, in *acutis* autem *executio* & plena absolutio *eliminationis*, jam in notabili *actu* constitutarum rerum, obiectum Curationis è *fundamento* constituat.

§. XXVI.

Dum autem non nisi *duo* talia fundamenta ita constituimus, nempe *materiæ* respectum, & administrandam directionem ad expulsiones; secundo, justam mensuram *temporis*, ad has expulsiones, debito ordine, & successibus proportionatis, absolvendas: Nescio, an non ita censuram incurramus illorum, qui, (nisi quidem tota, imprimis hodierna Schola medica, pro uno hic steterint) non tam in *ejectione* maleficarum illarum rerum curationem *acutorum* affectuum collocandam esse agnoscunt; sed potius in *Correctione*, *subactione*, *edomatione*, *inversione*, malignitatis atque *venenositatis*, uti rhetoricantur. At verò, cum nos prægnantes habeamus, & imprimis *practicas*, ab experientia, rationes, negandi, quod ulla vera, *directa* atque perfecta, alteratio seu *simplex correctio*, *materiarum acutos* affectus concitantium, ullam fidem & fiduciam mereatur: sed potius tam innumerabilibus exemplis *spontaneæ* felicissimæ absolutionis curationum talium per ipsas *expulsiones* & *ejectiones*, quàm numerosâ indies experientia practica, non solum huic ipsi viæ feliciter insistente, sed nulla alia quidquam geminum imperante: Persistimus proinde merito in proposito nostro, veram *fundamentalem* curandi rationem, in *Febribus*, imprimis *acutis*, in *tempestivâ* quidem; sed tamen non nisi rectè  
matu-

*maturâ, ejectione causarum, aut qualiumcunque tandem jam effectuum morbidorum in his generibus, collocandi.*

XXVII.

Cùm autem in morbis *acutis*, verè strictissimo sensu secundum *Veterum* acceptionem sumtis, nempe *Viscerum inflammatoriis*, hæc via non æquè locum invenire videri possit; quandoquidem non tam *maturationi*, & tandem, ceu *seniori*, *excretioni*, locus ibi pateat: Confitemur quidem lubentes, quod res ita se habere debeat: Sed cùm non solum à posse adesse, verum etiam multis locis, modis, atque casibus, à τῶ DEBERE, ad POSSE, non valeat, aut *pateat*, ita statim, consequentia; est certè hic etiam passim necesse, imò nihil suppetit verius atque solidius, & cui ceu fundamento insistere firmiter liceat, quàm hæc methodus, successivam secretionem sanguinis in stasin jam redacti, si non æquè simpliciter expectare, tamen ita ante oculos atque totam intentionem positam habere, ut illius successibus adjuvandis, omnis cura & industria adhibeatur. Quod enim vulgò in *sanguinis missione* quæritur, non est quidem simpliciter contemnendum, aut tali sensu negligendum; interim, nisi 1.) *summa opportunitas* adhuc bene tempestivo usui faverit; & 2.) *quantitas* emissionis, etiam justiori æstimationi theoreticæ responderit: 3.) *indoles præterea*, vel *senfilior*, vel ejus ordinis fuerit, qualem vulgatâ formulâ *eine gute Natur/ eine starcke Natur/ die sich selbst hilft/ sich bald wieder erholt/ sich bald wieder zu rechte findet/* innuunt ac designant, ad eò, ut revera hæc magis, quàm ipsa *ars* curationem perficiat, nisi hæc, inquam, concurrant, irrita certè est omnis hujusmodi tractatio, nedum ut *fundamentalis* methodi dignitatem tueri mereretur. Qua de re etiam prolixius actum est *Diff. de morbis Acutis Veterum*. Tantò magis autem prudenter utendum hic est *sudorifico regimine*; ne *expansione* sanguini hinc inductâ, sive ille de reliquo *quantitate* nimia, sive *spissitudine* notabili, peccet, firmiori potius *infarctui*,

& ut loquuntur *incuneationi*, ita velificetur, quàm conceptæ ideæ de dissolutione staseos per modum *abrasionis* &c. sese accommodet, hujusmodi processus.

XXVIII.

Quemadmodum autem ita, quantum satis esse possit, de respectu MOTUS HUMORUM dixisse, nobis videmur; simulque, quæ ad veram eorum discrasiam pertinent, nempe *spissitudinem*, à languidiore, præsertim per ipsam *abundantiam* eximiam introducto, transitu per partes porosas, subnatam: & quomodo huic etiam, per tempestivas *ventilationes*, tanquam ex ipso *fundamento*, omnium optimè consulatur: Ita notamus solum adhuc breviter; ipso præsentè loco, quod utique etiam *attenuatio* ita spissi sanguinis, *conquassatoria*, per *motus* corporis, adeò magnam partem in negotio *Curationis* è *fundamento*, sibi vendicet, ut nullum usquam sit dubium, quin hujus alibi *neglectus*, (sub opinione sibi parcendi, *sich wohl in acht zu nehmen/ und zu schonen/*) alibi verior ad spontaneos *motus impotentia*, quæ tamèn aliis artificiis, *equitatione*, *vectura*, modestè & prudenter institutis, passim corrigi valeret, quod, inquam, hæc multoties, omnia reliqua subsidia, si non prorsus irrita, tamen passim difficilioris eventus, efficiant atque reddant. Dum nimirum etiam hæc ratione quasi propius attingi atque commoveri posset ipsum *fundamentum*, atque *fomes* malus, quorundam affectuum; quod dum, neglecto, aut ob quascunque rationes, non benè procedente universo hoc subsidio, non obtinetur, non impetratur etiam solidus successus & optatus eventus reliquæ Therapiæ; nempe nulla *Curatio* è *fundamento*.

§. XXIX.

Non equidem ullo modo amamus prolixitatem, aut gratuitam repetitionem dictorum; Cum autem in Praxi Medica, è veris *fundamentis suis* comprehendenda, tales res immensum quantum momenti inferant, putamus hic etiam  
sum-

summo jure valere posse illud *Seneca*: *Nunquam nimis dicitur, quod nunquam nimis discitur*. Repetimus itaque, & meminimus repetere, illud, quod jam supra ad minimum inuimus, imò verò attigimus; nempe, quod ad Therapiam è *fundamento* instruendam, in foeminis, paulò ante, & diu post tempus *cessationis* mensium, etiam legitimum, quando *Plethora*, plena ratio victus, otiosa atque *deses* vita, *animi pathemata* acriora, *vini* largior usus, *venerearum* rerum nulla adhuc *oblivio*, &c. concurrunt, quod tunc *coorientium*, aut acrius *exardescentium*, *hystericorum* internè, aut *rheumatico-artriticorum* externè, imò utrorumque *reciprocantium*, turbæ, nunquam è *fundamento* attingi, atque adeò efficacius refrænari possint, nisi *ventilationes* sanguinis dexterrimè instituantur. Quod idem etiam iterum iterumque monemus, de *hæmorrhoidalium*, *motuum*, non solum autem *fluxuum*, qualibuscunque *assuetudinibus*; diuturnioribus inquam ejusmodi perceptis, jam *hypochondriacis*, *colicis*, valde *flatulentis*, *mæcido-diarrhois*, *tenesmoideis*, INTERNE: EXTERNE vero *rheumatico-artritoideis*, *ischiadicis*, per longitudinem etiam *dorsi* contendentibus, imò *gonagrigo-podagricis*, quin tandem *vagis* spasticis ( sed dictis modò *conspirantibus* symptomatibus ) schematibus. Quibus etiam ipsis, nisi prudens *ventilatio* sanguinis plurimum utilitatis adferat, frustra certè sunt omnes aliæ, aut ad minimum *impeditissimæ*, & nunquam *fundamentum* verum tacturæ, intentiones atque inventiones Therapeuticæ. Ubi etiam iterum solertem peritiam, circà usum *hirudinum* acquirendam, meritò commendamus.

XXX.

Ad singularia ultra progredi non fert nostrum institutum, nedum ut propriè exigat; Unde non prolixam mentionem facere in animo habemus, de ejusmodi incommodis, quæ *Plethoricis* foeminis, eveniunt, post prægressa plura *puerperia*, & evacuationes *lochiales* largas: aut à *malè* progres-

*sis* lochiis: aut ab aliis *accidentibus*, unde vel *uterus* non plenè repurgatus, vel *venter* inflatus, & aliæ *flatulento-spastica* turbæ, succreverunt atque perstiterunt, imposterum etiam *repullulant*, & passim deinde negotia facessunt, sine peculiari tractatione, *Uterino cathartica*, sed etiam hunc scopum verè assequente, frustra aliis tentaminibus attinguntur. Ita etiam de ejusmodi casibus non latius agere necesse fuerit, ubi v. gr. à *violentis* sanguinis profusionibus, per *vulnera*, prægressis, patientes de reliquo in satis prosperum statum & integritatem, restituti, *anniversariis* temporibus facile incommoda varia incurrunt, qualia alias simpliciter *plethoricis*, arbitrariâ aliquâ *evacuatione* sublevatis, in posterum evenire solent, quando *similis ventilatio*, restituta interim *plethora*, non ad animum admittitur. Cujusmodi certe innumera phænomena, his & similibus, sed utique pari *fundamento* insistentibus, causis, deinde, ut *effectus* succedentia, inauspicato illo nomine *Scorbuticorum* pathematum, sine omni fundamento, imputantur. Imò, ut rem clarius & tam secundum veritatem, quàm ad justum usum, eloquamur, tribuuntur talia phænomena promptissimè, *qualitatis* humorum non solum peculiaribus, sed admodum specificè *differentibus*, vitiis atque corruptelis; cum nihil minus, quàm talis multiformis mutatio *craseos*, locum hic habeat: sed longè certius *intentiones*, imò magis magisque *contentiones*, ad *quantitatem* prægravantem imminuendam, & per emunctoria aliqua *exonerandam*, præcipuum *fundamentum* hic constituent, & tanquam unus habilis actor, varias deinde personas, larvas inquam atque *schemata*, induant, & sub iis, incautæ plebi spectatorum, ludos exhibeant.

XXXI.

Quid verò, quod de uno adhuc objecto intentionis, aut certè attentionis, è *fundamento* sive curandi, sive ad minimū *judicandi*, adhuc aliqua monere necesse est; postquam superius breviter solum illud tetigimus; CONSUETUDINEM intelligo, ejusque

que vulgo vix ad animum admitti solitam ingentem efficaciam, quæ non solum *in genere*, communes, licet etiam bonas aliquas, simplices tamen atque directas, curationes fallit atque obstinatè eludit: verum etiam quam maximè *in specie*, opinabiles illas energias materiarum, ad anomalos *motus* tanquam simpliciter *physica* proportione excitandos, quod in proverbio est, ludos facit. Certè enim non exigua indies in hoc genere occurrunt sphalmata, dum *motibus*, ipsa multa *adsuetudine*, & protervius in sultantibus, & procacius atque pertinacius insistentibus, sine ulla verà atque proportionata ratione l. *quantitatis*, l. *qualitatis* materiarum, quascunque etiam adhuc respiciunt & exagitant: dum, inquam, talibus *motibus* sic constitutis, opponuntur tot inania *alterantia*, aut certè inani usu, imò potius dum nihil inveniunt, in quod agant, alio in expectato odiosiore effecto, nusquam certè illud, propter quod dantur, & cui opinione destinantur, vel consequuntur vel assequuntur, tam *alterando* passim, quam *evacuando*, secundum inanem hypothesin.

XXXII.

Longè autem verius circa hoc negotium est utique illud, & pertinet omninò ad verum *fundamentalem* scopum curationis instruendæ, quod *Consuetudines* in solescentes, omnem curationem simpliciter *materialem*, admodum difficilem reddant: Importunioribus *cohibitionibus* atque repressiõibus, etiam ipsæ *anomalos impetus* opponant: minus convenientibus tractationibus, facilè, imò quasi temerè subinde, in alia *schemata* se transformant, rarissimè mitiora, præsertim *constanter* talia: imò omnem plenam atque solidam *curationem*, ita contumacissimè eludant, ut, quanto magis illas subigere, & in desinentibus oppugnationibus operosioribus, & severioribus, illas *edomare*, Medico etiam obstinatiùs mentem insidet, tantò certius non solum nihil ad summam hujus scopi absolvatur, sed etiam communissimè, imò tali methodo *in se*,  
per-

*perpetuò*, omnia graviora atque deteriora, pluraque, & multiformia, eveniant & evadant mala atque incommoda.

XXXIII.

Sicut autem ita deinde magis magisque, constitutæ, imò prostitutæ, res, Medico ferè aliam methodum inspirant, nempe neglectis *materialibus* respectibus, ferociter importunas protervias *motorias*, ipsa *adsuetudine* insolescentes, tanquam placandi seu potius *obnubilandi*: hæc verò res ita in plano aut proclivi nequaquam posita est, quin satisfacile aliquid hic etiam errandi, atque cespitandi, occasio pateat: est propterea etiam de tali instituto atque cœpto, aliquid meritò adhuc dicendum.

XXXIV.

Nempe, quemadmodum vera curatio è *fundamento*, *causas* ipsas, earumque *conspirationem*, seu, ut vulgò loquuntur, *dependentiam* mutuam, atque *subordinationem*, respicit; ita altera hæc, *actiones* ipsas concurrentes aut intercedentes, solum *obtundendi*, & non tam impetum fortè solum nimium *mitigandi*, sed etiam totam veluti *intentionem* pro hac activitate exercenda *obstufefaciendi*, quam diversa, imò adversa via incedat, hominem utique neminem latere potest. Cum autem imprimis *quatuor* sint, *eximiæ* penitus, *difficultates*, quamobrem tale cœptum, nisi rarissimè & peritissimè susceptum, non possit bonos atque laudabiles fructus ferre, interest propterea praxeos, ad fundamentum verum attentæ, ut hæc difficultates, pro felicit sui consideratione, adeoque justâ evitatione, rectè innotescant: sunt autem sequentes.

XXXV.

*Primò*, habent *opiata* hunc malum effectum, ut non tam quietem atque verum *somnum* concilient, quam *stuporem* solum quendam velut *ebrium*, quem, quando dissolvi incipit, *fastidium anxium* & meticulosum excipit: Unde in rebus *per se* magis sollicitis & velut anxiiis, in affectibus inquam *acutis*, & præsertim jam quantum cunque laboriosè procedentibus,



bus, vel paulò intemperantiorem usum *Opii*, tanquam certò insequuntur proximo die *Deliria*: unde in affectibus quantumcunque periculosis, hæc medicandi ratio, certum periculum post se trahit: imò verò etiam in minus periculosis, sed quantumcunque jam spontè *malè moratis*, post *larvam* illam quietis, certiores novas *inquietudines*, familiariter progignit. *Secundò*, iterum dicimus, nisi cum summâ moderatione, atque vera *dexteritate*, usurpetur, quin potius, præter rationem atque modum temerè continuetur, nascitur inde facilè effectus, vero *fundamento* planè contrarius; nempe, tam *secretionum* dirigendarum, quam *excretionum* perficiendarum, omissio, non sine variâ, & secundum proportionem causarum, etiam plus minus damnosâ, antipraxi. *Tertiò*, dum ita illud maximè inhibetur, quod utiliter fieri debebat, levissimum quidem propemodum, sed etiam certissimum, subsequitur illud incommodum, ut tantò certius non *aufferatur*, sed solum *differatur* affectûs totius impetus: adeò, ut non solum certius, sed etiam promptius, idem malum novo insultu *recurrat*. *Quartò*, quod revera usu *narcoticorum*, in affectibus *chronicis periodicis*, jam qualitercunque *assuefactis*, & imprimis diversa jam schemata successivè nactis, tanta *contumacia* atque *pervicacia*, facilè, atque etiam adeò *familiariter*, introducatur, ut imposterum non solum *in genere*, nimio plus *refractarii* atque obstinati sentiantur: sed etiam, *in specie*, neque methodis, neque remediis alias sic satis probatis, ante omnia verò ipsis etiam *narcoticis*, pristinâ, quantumcunque *moderatiore*, dosi datis, nullo modo obsequantur: unde *auctiore* magis magisque narcoticorum exhibitione, *tabidi*, aut *tumidi*, exitus, totam scenam claudunt.

XXXVI.

Quemadmodum autem dicta hæc sufficere possunt circa causas *antecedentes*, quatenus *humoribus*, & *seorum motibus*

*bus*, superstructæ sunt; ita placet tamen, dum rei dignitas oppidò meretur, adhuc semel commendare, judiciosam observationem *motuum* hujusmodi *heteroclitorum*, ubi ad *alieniora* loca, jam pridem, aut certè plus semel, facta *translatio*, veluti redundantia, nullum propius atque certius fundamentum Curationis admittit aut agnoscit, nisi *revocationem* exonerationum, & ad illas pertinentium *apparatum*, ad commodiora & verius debita *loca*; post generalem etiam, quantacunque impetrari potest, universæ *materialis* causæ, diminutionem atque *præoccupationem*. Quæ nempè propior utique est methodus, hujusmodi affectus, tali fundamento innixos, commode tractandi.

### XXXVII.

Ubi verò non jam amplius sive *humorum*, sive *motuum*, quatenus humores adhuc pressius sequuntur, ratio habenda venit; sed potius in nudâ velut, aut certè præcipua, *motuum* ipsorum intemperantia, fundus mali versatur; ibi prudentissimâ certè discretione opus est, pro hujusmodi constitutione, ante omnia rectè *agnoscendâ* atque *dijudicandâ*: Deinde verò, requiritur etiam justa *æstimatio*, quâ nam *meliore* ratione hujusmodi sic insolescenti *activitati* subveniri possit. Ubi certè præposterum esset, & ab omni justa proportionem alienum coeptum, *activitatem motuum* ea ratione, qua ferè unicè solet, nempè ex ipsa *adsuetudine*, ferocientem & insolescentem, *repentinâ* violentia simpliciter *reprimere* atque *coercere* velle: Dum omninò non ita promptè, uti herbæ, eradicantur ullius generis, quantumcunque etiam ferè perverfæ, nedum qualicunque specioso *initio*, & *utili* tunc temporis, imò passim *necessario* scopo, introductæ, *Consuetudines*. Unde quidem etiam ad hanc insolentiorum *motuum* indolem, ipsam inquam *adsuetudinem contumaciorum*, ita respiciendum esse agnoscimus, ut, nisi hæc talis harum re-

rum

rum ratio habeatur, nunquam hic fundamentum ullatenus tatum iri, sed unicè vel inanibus *palliationibus* tempus periturum, affectum autem ipsum, etiam firmiores radices pervicaciæ suæ acturum: vel temerariis *directis oppugnationibus*, in longè *deteriorem* ferociam impulsum iri, tale malum, asseveremus, & confidentissimè ad quotidianæ experientiæ solertem, observationem provocemus: tantò magis, cum, quod mihi Præsidi abundè notum est, hodiernis temporibus atque moribus, exempla ferè nusquam deficient. Sola verò, quæ ad aliquos etiam horum generum affectus reverà aliquid possint, sunt SPECIFICA: dolendum tamen, quod non minus *rara* observentur, quam aliqua talium specimina, omninò *vera* existunt.

XXXVI.

Interim non possumus, quin etiam in hoc genere prudenti animadversioni, imprimis præjudiciis fortè minus distractæ *Posteritatis*, commendemus, circà hoc negotium, ne etiam qualicunque *specificorum* efficaciam, affectus quantumlibet *heteroclitorum motuum*, tanquam nudè atque simpliciter expugnentur, nullo respectu habito ad illas causas, quæ, ad minimum per ipsa *initia*, hujusmodi affectibus qualemcunque *materialem* fomitem præbuisse intelligi possunt. Quem in finem fas nobis erit casum enarrare, qui tanquam emnens inter plures non valdè dissimiles, tanto magis ansam nobis dedit, ad contemplationem hanc seriò excolendam, qui sequens est. Juvenis viginti circiter annorum, lautè domi & indulgenter habitus, cum aliò transmitteretur, tanquam mercaturæ addiscendæ gratia, ubi ipsi non solum de reliquo minus commodè erat; sed etiam à novis contubernibus, pro ejus loci genio, varia ludibria & vexationes inusitatae antehac, tolerandæ, incurrit hinc, post semestrem circiter spatium, epilepsiam. Usurpantur ab ejus loci Medi-

„cis varia huic affectui vulgò destinata, imò commendata,  
 „sed frustrà omnia. Revocatur itaque domum, ubi empi-  
 „ricus quidam se obtulerat, jactans secretum in juventute sua  
 „peculiari fortuna sibi oblatum, cujus ingentem adversus e-  
 „pilepsiam efficaciam etiam experimentis, illo tempore,  
 „confirmatam recordetur, ferebat autem posthac fama fuisse  
 „quandam vulgò sic dictam Tincturam Lunæ. Usurpatur,  
 „cum tali successu, ut epilepsia reverà, nec impetu etiam re-  
 „pentino, sed ita satis successivè, cessans, rectissimè edomata  
 „videretur. Et erant reipsa, per sex fortè septimanas ita sa-  
 „tis quieta omnia, excepto illo uno, quod languidior nota-  
 „biliter patiens appareret. Ita verò demum cooriebatur  
 „tandem *delirium*, magis magisque ferocius *Maniacum*,  
 „ut vinculis omninò compescere patientem necesse esset: in-  
 „gente honoratoris è qua prognatus erat, familiæ, dolore.  
 „Imò perstitit non solum in hoc tristi affectu, sed invenit  
 „etiam, hoc ipso adhuc oppressus, quarto fortè infausti hu-  
 „jus eventus mense, ipsum vitæ finem. Ut autem intelliga-  
 „tur, quid hujus casus allegatione intellectum velimus, noto  
 Præsès, quod rationes habeam non inanes, quamobrem ar-  
 bitrer, *Veneris* phantasiis clam exagitatum fuisse hunc pa-  
 tientem, à quibus, juxta cum clandestinis *iracundie* com-  
 motionibus, primordia totius mali, nempe *epilepticos* inful-  
 tus, erupisse auguror. Cùm autem hæc anomalorum com-  
 motionum species, per qualitercunque *specificam* efficaciam  
 experimenti illius veluti coercita esset; non tamen ita totus  
*morbis* sublatus fuit, tota inquam clandestina, *meditabunda*  
 & *indignabunda* intentio, quin posthac alio, & quolibet  
 propemodum intuitu adhuc *deteriore*, schemate se exere-  
 ret. Ubi adeò non nullam culpam fuisse in hujusmodi sim-  
 plici oppressione *epileptorum* anomalorum motuum, non  
 occupatis, quod etiam medicæ *arti* impossibile erat, illis obje-  
 ctis, quæ primas velut *ideas*, & ad vehementes motuum actio-  
 nes

nes fuscipiendas ansam præbuisse verosimillimum erat. Quemadmodum autem non hoc exemplum est solum, quod nobis hanc *cautelam*, justam, atque omni modo suadendam, reddit; ita tanto minus utique dubitamus, eandem commendare, ne ipsis etiam *specificis*, tanquam temerè & simpliciter, expugnatio affectuum, præcipuè ipso longiore admodum *assuetudine* insolescentium, fuscipiatur, aut ad minimum in eadem *acquiescendi* plenum jus esse credatur: quin potius omni modo, siquæusquam *fomitis* cujuscunque suspicio subest, ille solertissimè peruestigetur, & illius dextra subductione & remotione, tandem necessitatibus patientium verè in solidum consulatur.

XXXIX.

Quemadmodum huc usque dicta affatim monstrare possunt, quis noster sit sensus de *fundamentis*, ad quæ Curatio passim dirigenda venit; ut ita non obiter, & veluti per superficies, sed verè ab ipsis *fundamentis*, morbi eruantur, & patientium sanitas firmiter collocetur atque stabilietur: ita spontè etiam inde fluet, neque tamen fortè etiam innuisse vitio nobis vertetur, quod hæc talis consideratio, etiam in *Theoreticâ*, nempe *Pathologicâ*, æstimatione, aut potius *Vestigatione*, morborum, veri *fundamenti* locum tueatur: è quo prudens Practicus, passim, tanquam hariolando, effari, & tanquam edicere possit magis, quam elicere, cujusmodi affectus in variis horum generum patientibus jam *præcesserint*, seu, quibus schematibus posteriori huic jam olim præluserint. Cujus rei specimen luculentissimum exhibet, locus prolixus apud *Hippocratem*, *Libr. II. Prorrheticorum*, Versus finem, nempe à §. *Quicunque, dum neque febricitant, neq. decolores sunt* &c: maximè verò ab illa §. quæ incipit *De Coxendicum doloribus ita* *ἐπί τῆς δεξιᾶς τοῦ δεξιᾶς, disquirendum est* &c. Ubi, nempe mani fe-

Itò demonstrat, diversitatem *Prorrheticæ*, à *Prognosi*; dum hæc posterior, quæ futura maximè sunt præcognoscit atque prænuntiat: Prior autem, potius quæ jam præcesserunt atque facta sunt, artificiosa, & maximè perita collectione, experientiæ observationi superstructa, solum ita prædicit atque eloquitur, quæ ipsi aliunde neque sunt dicta, nec in eo ordine, & respectu nexuum atque dependentiæ causalis, etiam non poterant dici, nisi à similis artiscompotibus. Unde rectè hanc ipsam prædictionem claudit illis verbis: *Fatebuntur enim,* ( seu interroganti respondebunt ) *hæc omnia.* Quemadmodum etiam antea, de malo colore, pariter ad instituendam questionem de Capitis dolore, eadem formula utitur, *Φήσιν γὰρ.* Conferatur *Programma, Paraphrasin* hujus loci uberiores exhibens. Neque verò solum ita ad edifferendum, quid in hujusmodi Casibus jam præcesserit, & prægressis annis obtigerit, fundamenta hæc inserviunt: Sed pariter omninò etiam, ad prædicendum, quid adhuc impendeat atque expectandum veniat, nisi maturè fundamentis hujusmodi, rectè consulatur atque prospiciatur. Ubi tamen facilè exempla quoque suppetent, quibus veritas talis prædictionis, per evictionem veritatis, quod hujusmodi constitutiones tales successus & eventus in sequi soleant, tanquam ad oculū demonstrari possit. Unde quidem ego, Præles, hunc Hippocratis locum, imò potius ejusdem verum sensum & usum, maximopere commendo, Praxi jam patientibus, ut ad hoc Hippocratis paradigma, discant, imò exercent, illud ἐπιπέρας seu interrogare & exquirere Hippocratis, de hujusmodi prægressis & insecutis, affectibus, & ex illis affirmationibus responsorius patientium, toties quoties audiendis, tandem palpare quasi perdiscant, verum nexum harum, & fundamentalem habitum, primarum simpliciorum, rerum, ut ita veriores rationes, tam infrequentia morborum, universalius & citra hunc ordinem, spectatorum: quàm frequentiam eorunden

dem, specialiorum, juxta hunc *ordinem* obtingentem, & inde specialissimè, tam *factum* ipsum, quàm *rationem*, quales affectus, quousque inter se *conspirantes* & *convenientes*, quibus *etatibus*, quibus *locis*, quibus *schematibus*, quibus *successibus*, eveniant? quò rectè atque verè solidè perspecto, alia utique facies *Pathologiæ* ipsis comparebit; aliud inquam *fundamentum*, veræ *historiæ* æque, atque *conspirationis* & *connexionis*, tam *causarum*, quàm ipforum *affectuum*: & consequenter, longè etiam aliud *fundamentum*, ad quod *Praxin* suam, meliore ratione dirigere liceat.

Ita quidem satis fecisse proposito nostro, nobis videmur, quamobrem divinæ bonitati iterum iterumque gratias immortales consecramus.

FINIS.



